

4 / 90

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMXC

VARIVS
R MOR VARIVS I
R MOR VARIVS I
R MOR VARIVS I

R MOR VARIVS

R MOR VARIVS
R MOR VARIVS
R MOR VARIVS

TOMVS 13

FASC. 84

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0


PRÆFATIO

Autumnus iam advenit praeterita aestate.
Mane vesperique frigus omnia pervadit,
mirabiles dies caelo caeruleo fulgente
ultimam aestivalis caloris recordationem praebent.
Aliis diebus canities gravis caelo nubibus velato
nullum radium solis in terram pervenire sinit;
nebula densa omnia obscurat devoratque,
neque quicquam cernis nisi sonitus strepitusque
silentium magnum interdum interrumpentes.
Tempestates oriuntur et magna vi venti omnia
perflant de arboribus folia versicoloria
turbine circumvolantia decutientes.
Variis coloribus et formis crisantemi, daliae,
asteres flores autumnales fulgentes florescunt.

Vinitores uvas maturas carpiunt doliaque suco
pressarum implent ad vinum creandum.
Laeti pompas et dies festos agunt rerum Naturae
pro donis uberibus gratias agentes.
Recordatio defunctorum diebus festis fit;
eorum manes candelis in coemeteriis coluntur.
Sunt, qui in silvis venantes sclopetantesque
mox feras, nonnumquam nimio ardore venandi
caecati collegas suos feriant: Ultio rerum Naturae
pro bestiis, qui se ipsos defendere nequeunt.
Vesperi foris nebula frigoreque oriente placet
lumine candela in domo sedere, bono vino frui,
musicam audire vel colere, libros legere, lit-
teras scribere, cum amicis disputare vel ludere.

Rerum Natura ad maturitatem venit, antequam
per hiemale tempus quiescet, dum proximum ver
iterum oriens et floescens expergiscatur.

Gaudete autumnii varietate et valet!


Daniel Weissmann

In monte pascuo

Puero XIV annorum secessus aestivus (Sommerferien) agendus erat in monte pascuo (Alp) supra urbem Curiam (Chur) sito boves masculos (Ochsen) viginti fere pascenti. Haud ignorabam boves masculos lac non dare, sed quid hoc sibi vellet, non ante bene sciebam quam cum alternis diebus de monte pascuo ad vicum descendere debebam lac petitum. Itum reditumque horis plus minus duabus emetiebar. Optime mihi accidit, quod Iuppiter plerumque erat serenus, sub finem tantum aestatis nebula orta est montem pasuum vallemque totam velans. Pastor alpinus (Senn) homo erat taciturnus, quocum sermo vix posset oriri, cumque per totam aestatem alium hominem nisi pastorem nullum viderem, solitarius mihi desertusque videbar meosque condiscipulos desiderabam. Multo libentius Curiae in urbe mansissem.

Pastor alpinus autem si quando verbum faciebat, quod, ut dixi, rarissime accidebat, pronuntiatio eius hominem zingarum (Zigeuner) mihi in memoriam reducebat, quibus puer supra urbem Curiam saepissime occurrissem. Cum bubus in pascuis nimirum colloquium fieri non poterat, et cum interdum verbum cum iis faciebam, non intellegebant placideque pascebantur. Pascua facile oculis perlustrabam, quia supra paulatim in rupes transibant, intra pinetum (Fichtenwald) per totam longitudinem pasuorum patebat, una ex parte casa alpina erat, altera ex parte pascua attingebantur faucibus arduis. Itaque non intellexi, quam ob rem eos custodire et pascere deberem. Quod etiam minus intellexi, quod scirem boves per totam noctem semper sine custodia pasci vel dormire, at interdum me custodiante esse opus.

Pastorem alpinum per totum diem non vidi nisi mane, antquam in pascua exirem, dein meridie ad prandium et vesperi ad cenam. Ignorabam, quid faceret: utrum in casa alpina occupatus esset an in silvam inferiorem vel etiam usque ad vicum descendisset. Cum autem a pascuis in casam veneram, amice me interrogabat, quomodo valerem, at quid responderem, eius non mihi videbatur interesse. Subridebat tantum et aliquo modo erat perturbatus. Libenter eum interrogassem, quid ageret per totum diem ubique esset, sed numquam audebam. Ad cenam verspertinam colloquium nullum oriebatur

et taciturni decoctum (Mus) edebamus ligula (Löffel) una ambo utentes vicissim. Cuius rei nimirum principio me taedebat, at paulatim assuefactus hilariter cibum capiebam. Aliquando cum iam vesperasceret, conspexi pastorem alpinum festinanter a silva inferiore ascendentem casaeque appropinquantem: Mirabar, ubinam fuisset et cur tam propere adveniret. Num in vico fuisset? "Quid hoc hominis est? Qua origine, qua stirpe? Ziganus (Zigeuner)?" me ipsum interrogabam. Et: "Nunc est re vera pastor alpinus? Hic in monte pascuo?" Quis esset, in praesenti scire non potui, at quod suspexeram, XV diebus post verum esse probatum est.

Postridie mane cum e casa alpina egrederer, iam nec boves vidi nec pascua, quia nebula densa omnia velabat. Audivi tantum tintinnabula boum prope et procul tinnientia. Consedidi in margine putei. Cum autem sessio valde molesta esset, mox surrexi ambulaturus circum puteum. Deinde fatigatus ambulando denuo in margine consedi, ita vicissim tempus agens usque ad meridiem. Tum autem casam intrans statim statui pastorem non adesse focumque extinctum. Uni solacio nunc erat, quod ligula solus uti poteram ad edendum decoctum.

Post prandium iterum in pascua egressus sum boves pasturus totumque tempus pomeridianum (Nachmittag) taedii plenum acturus. Sub vesperum autem prope casam aliquem nebula opertum sibilare audivi carmen mihi non ignotum, quod memoriam condiscipuli mei mihi reduxit. Decurri ad casam et conspexi amicum meum nomine Edgar Cantieni. "Quam inopinatam rem!", exclamavi, "tu, Edgar, amice mi? Quod gaudium mihi attulisti! Quo modo me reperire potuisti?" - "Nil facilius: mater tua mihi dixit, ubi esses. Tum vehiculo publico vectus sum usque ad vicum hic infra situm. Ibi agricola quidam interrogatus mihi explanavit amicissime, quo itinere mihi huc ascendendum esset, et adsum, ut vides." Et ego: "Maxima laetitia me afficis, et nunc veni ad cenam! Casam alpinam intremus!"

Quantopere autem miratus sum pastorem subito factum esse hominem loquacem, qui antea semper parce usus esset verbis. Tum cenam hilariter fecimus productam (in die Länge gezogen) usque ad horam decimam. Postea cubitum iimus et in faeno diu fabulati sumus (plaudern), donec pastor ex angulo

suo timide interrogavit: "Nondum tandem somnum capere vultis?" Tum conticuimus somnumque cepimus.

Postridie Edgar me in pascua comitatus est. De improvise me interrogavit, nonne legissem commentarios diurnos.

"Non est mihi ullus commentarius diurnus", respondi, "sed tu, quid legisti?" - Et Edgar: "Irruptum esse in villam aliquam a latronibus non tam procul hinc, praedam magnam factam esse." - Et ego: "Itane vero?" - Et Edgar: "In suspicionem venit homo zingarus quidam." - Et ego: "Homo zingarus?" - "Ita est." Alia multa Edgar de schola narravit mihi aures non praebenti et continuo de pastore mecum cogitanti.

Biduo post pastor alpinus ab aedilibus (Polizei) in casa alpina captus et avectus est. Qua de re ego numquam quicquam ultra comperi, commentarios diurnos non legens.

Emanuel Bernard



De falcone et de palumbo

Vobis Latine narratura sum fabulam quandam, quae in clarissimo antiquorum Indorum opere, cui titulus "Mahabharata", inter alias pulchras pulcherrima mihi videtur: Quae fabula de falcone et de palumbo agitur:

Fuit olim rex quidam vere iustus; immo iustissimus esse dicebatur omnium hominum qui in terris essent. Olim palumbus quidam in regis crus devolavit et eius praesidium petiit: Cui rex: "Praesidium meum", inquit, "tibi feram."

Statim autem falco quidam macerrimus in propinquum ramum devolavit et regem sic interpellavit: "Meus est hic palumbus: Mihi ergo eum da!"

Cui rex: "Non dabo", inquit, "nam animal perterritum inimico tradere non decet."

Falco vero: "Quicumque iusti in terris sunt", inquit, te solum esse iusti appellatione dignum dicunt: Quae cum ita sint, cur iustitiae meae obstas? Hic palumbus inedia imperiosam, qua excrucior, satiari debet: Eum igitur mihi trade!"

Tum rex oculos demisit ad palumbum pavefactum et falconi sic respondit: "Corpus eius trepidum inspicere: Vitam suam mihi servandam tradidit. Eum relinquere mihi non licet."

At falco: "Cibo", inquit, "omnia animantia vitam sustenant, nec sine cibo ulla vita esse potest. A temporum originibus per causarum serie et fato hic palumbus ita destinatus est, ut cibus meus fieret: Istum mihi da!"

Cui rex: "Fides a me iurata", inquit, "plus valet quam fatum."

"Num plus quam Parcarum necessitas?"

"Plus sine dubio."

Tum falco viribus defici visus est. "Mihi cibo privato", inquit, "anima deerit. Atque mecum et uxor et filius morientur: sic pro una vita complures peribunt. Ista autem virtus, qua virtus deletur, falsa virtus est; sed vera virtus contraria superat. Virtus, quae decernere nescit, virtus quidem non est."

Rex avis verbis attente auditis haec fere respondit: "Sapienter dixisti. Attamen quomodo bonum tibi videri potest animantem quempiam auxilio carentem a me deseri? Aliud profecto edere potes: vel taurum vel aprum vel cervam."

"Nec tauros neque apros nec cervas falcones edunt; sed palumbos falcones edunt: Haec est aeterna lex et falconum fatum."

Rex sic exclamavit: "Quaecumvis tibi daturus sum: Bovem integrum tibi adferri iubeo; immo omnia armenta mea, regnum meum totum tibi dabo; sed hunc palumbum tibi non dabo!"

Falco, re deliberata: "Unum", inquit, "accipiam."

"Quid?"

"Si talis istius palumbi amor tibi est, e crure tuo dextro carnis frustum deseca, cuius pondus sit idem atque istius avis: quod carnis tuae frustum mihi da."

Rex statim famulum vocavit: "Libram adfer!"

Et libra allata est et palumbus trepidus in altera lance positus est. Tum rex, cultro acuto arrepto carnis suae

frustum desecuit et in altera lance posuit. Avis vero pondus maius erat quam pondus carnis. Tum rex alterum cruris frustum sibi desecuit et in lancem iecit: libra tamen non mota est. Tum aliud frustum post aliud sibi desecuit: palumbus vero etiam ponderosior erat quam haec caro.

Tum rex alterum crus sibi desecuit, dein bracchia, dein pectus, dein carnem totam suam. Denique, cum ex eo nihil superesset nisi ossa cruenta, ipse lancem ascendit. Libra vero ne tunc quidem mota est. Nam palumbi pondus maius erat quam pondus regis.

Tum falco: "Huc", inquit, "venimus ego et palumbus, ut te cognosceremus, quem hominem in terris iustissimum dicunt." Atque ambae aves una avolaverunt.

Genovefa Immé



SOLUTIONES

1	C	2	E	3	L	4	E	5	R
2	E	L	E	G	I				
3	L	E	G	E	S				
4	E	G	E	N	A				
5	R	I	S	A	E				

2/90




1	T	2	E	3	N	4	E	5	R
2	E	R	U	D	I				
3	N	U	B	E	M				
4	E	D	E	R	A				
5	R	I	M	A	E				

3/90

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS DECEMBRIBVS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS



ad libram

6 ex metallo durissimo consistens (neutr. sg.)	25 quibus homines vident
12 arbor Iovis dei sacra	27 deus Aegyptiorum apud Romanos 'Sol' dictus
13 virgo pulcherrima gratissimaque 'Odysseae' Homeri	28 sine iis poetae fabulas producere non possent
14 exstat	31 mons, in quo Hercules mortuus est
16 quaedam herba	33 mons Thessaliae
17 guti vel canthari	34 signum quoddam orbis signiferi
20 condimentum acre	36 sine nubibus (caelus)
22 amore te misceres	38 gens Romana
23 Augusti libertus (breviter)	41 iterum considerantis
24 homo illius gentis, cuius rex Xerxes fuit	



ad perpendicularum

1 cena!	18 umor nocturnus in tellurem incidit
2 numerus 900 (Latine)	19 cibus
3 adverbium distributivum Latinum	21 non numerosi
4 una e Furiis	26 corpus inscriptionum Latinarum (breviter)
5 ad hunc locum	29 qua re?
6 blanditiis adduceretur	30 avis quaedam (Abl.)
7 pontus Euxinus olim sic vocabatur (adj. dat. pl.)	32 unus ex maioribus (Acc.)
8 pars aedificii	35 templum cuiusdam deae Aegyptiorum (Gen.)
9 fumus odoratus	37 mulier caelum vel Olympum montem incolens
10 magnus fluvius Africae (Gen.)	39 effuge per undas
11 ollae (gen. sg.)	40 versetur
15 instrumenta ad portas claudendas apta (Acc.pl.)	42 intra

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

Carmina Spiritualia Afrorum (Negro Spirituals)

Notissima, imprimis inter iuvenes, sunt illa "carmina spiritualia" olim a servis Afris in Americam vi translatis creata. Eis carminibus, quae Anglice "Negro Spirituals" vocantur, servi sortem suam pessimam leniebant; cantantes enim fidem suam fortissimam testabantur.

Hebraei in Aegypto sunt
(When Israel was in Egypt's land)



1. He- brae-i in Ae - gyp - to sunt, mit-te



po - pu - lum! Ac - cer-ri- me op - pres-si sunt,



Verba re-
petenda

mit - te po - pu - lum! Ab - i,



Moy - ses, Ae - gyp - tum, in - tra - tu - rus,



Pha - ra - o - ni dic: Mit - te po - pu - lum!

2. Tunc Moyses: "Deus vult ea."
Mitte populum!
Si non, mors saevit horrida.
Mitte populum!

3. Ne servituti subeant,
mitte populum!
Mox ex Aegypto abeant.
Mitte populum!

4. Agenda Deus nuntiat:
Mitte populum!
Hebraeos Moyses liberat.
Mitte populum!

Verba repetenda: Abi, Moyses, Aegyptum intraturus,
Pharaoni dic: "Mitte populum!"

Versio Latina: Martin Meier



OMNES, QVI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS,
ROGAMVS

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribatis. Valet!

RVMORIS VARIII domus editoria

Facete lepideque dicta

Magistra iuvenis urbana munus primum in vico montano susceperat. Quia exempla adhibere voluit, quae apta essent regioni et consuetudinibus discipulorum, arithmetica instruens interrogavit: "In saepe quadam quinque oves sunt. Quarum duo per foramen saepis effugiunt. Quot supersunt?" Filius agricolae: "Nulla." Magistra: "Falsum est, nam quinque minus duae sunt tres." Tum puer: "Non ita est. Si duae eripuerint, omnes sequentur."

Discipulus parvulus a schola domum rediens matri narravit: "Habemus puellam peregrinam novam in schola." Mater: "Scitne Germane loqui?" Filius: "Non scit, sed nihil obstat, ridet Germane."

Anna Jaeger-Fischer



De via Appia, quae hodie MMCC annos nata est

Regio circumdans viae illius initium ne nunc quidem regio ad antiquitatis investigationem reservata declarata est. Loca autem a cupiditate quaelibet aedificia construendi lege proteguntur. Hac aestate dies natalis viae antiquae singulari modo commemoratur. In antiquo mausoleo Romano nuper renovato permultae imagines, quae regionem nominis Campagna Romana praedicant, exponuntur. Quod aedificium situm est in Via Appia Antica 187 A. Inter imagines expositas admirari possumus opus illud pictoris Tischbein, qui Goethe poetam inter ruinas antiquas iacentem ostendit. Magno numero imaginum monstratur sors varia viae illius, quae olim Roma Brundisium tulit. Hodie quoque lapides Viae Appiae antiquis temporibus magna cum cura stratae multis locis optime conservantur.

Barbara Maier


Caelum tangere...

"Turrium mundus"... id est, de quo agitur, hac aestate, Mediolani in illo Palatio Regali, cuius est nomen Palazzo Reale. Quingentae res aspectabiliores hoc in aedificio oculis nostris obiciuntur. Praebentur imagines, picturae, signa, oppidorum descriptiones, libri. Non modo artificium species iis, qui visendi causa veniunt, offeruntur, sed etiam formae turrium in Italia saeculis prioribus exstructarum. Tabula aedificia clarissima in locis ad occidentem vergentibus sita oculis nostris proponit. Constructionis tempus et mensurae turrium magna cum diligentia commemorantur. Admiremur igitur turrim illam Babyloniam variis modis fictam. Ecce imaginem artificis Gozzoli, ecce illam pictoris Brueghel. Oculi nostri incidunt in turrium formas maxime elegantiae pulchritudinis effigies praebentes. Incidunt quoque in turrium formas, quae praecipue hominum commodis serviebant.

Pyramides, speculae, templorum turres, phari omnis generis spectari possunt. Turres pictoris Hieronymi Bosch monstris atrocibus impletas haud longe a turribus solide constructis pictoris nomine Spitzweg eriguntur. Ubique autem videmus turres desiderio caelum tangendi creatas.

Quis nostrum meminit sententiae cuiusdam viri sapientis, quae enuntiat quamlibet arborem ad finem hunc sufficere?

Barbara Maier



Aenigmata

I

Domi habito, domino obtempero, servus autem non sum. Cum pueris ad ludum eo, sed in scholam non intro. Homo enim non sum. Quattuor pedibus sane ambulo. Qui sum?

II

Pauci homines libenter me vocant. Fortissimos quoque terreo. Regibus ipsis non parco. Mihi numquam quies est, omnibus autem quietem do. Quae sum?

Barbara Maier



MORTES

Germana Maria Fabra (Germaine Marie Lefebvre)



Actrix cinematographica (1) Francogallica "Caputina" 62 annos nata voluntaria mortem diem extremum obiit.

"Caputina" quae dicitur (Francogallice: La Capucine) sub nominibus civilibus Germana Maria Fabra (Francogallice: Germaine Marie Lefebvre) die 6^o mensis Ianuarii anno 1928^o Telonis Martii in oppido Francogalliae (Toulon) nata est. Aetatem quippe veram et exactam vitae usque ad postremum diem actrix semper occuluit, itidem quoque nomina civilia. Nomen autem sibi ipsi tribuit scaenarium "Caputina" (La Capucine).

Curriculum capessivit primum modulæ photographicae (2). Figura autem eius procera staturaque speciosa venustaque etiam dispositorum cinematographicorum animos vehementer commovit.


Initio in publicum prodiit Caputina ut actrix cinematographica in productionibus Francogallicis, sed anno 1960° ineunte permutavit sedem ac domicilium et aliam operam dedit navavitque Ruscisilvae in oppido (Anglice: Hollywood) in pelliculis cinematographicis Americanis. Dispositor autem cinematographicus Italus celeberrimus Fridericus Fellini (die 20° mensis Ianuarii anno 1920° Arimino in oppido Italiae natus) occasionem Caputinae praebuit ad partem primam in pellicula cinematographica cui titulus "Satyricon". Cum actore cinematographico Anglio Petro Sellers partem in pellicula egit cui titulus "Panthera rosea", cum actoribus Iohanne Wayne (John Wayne) Americano atque Stewartio Grangero (Stewart Granger) Anglico in pellicula cui titulus "Terra 1000 adventurarum" (Theodisce: Land der tausend Abenteuer) partes egit.

Annis autem ultimis silentium erat de Caputina, nomen actricis olim clarissimae in oblivionem venit atque actrix ipsa tandem in depressiones incidit gravissimas. Caputina autem nunc hominum congressum fugiens sola cum tribus felibus habitavit Lausonii (sive Lausannae) in oppido ad lacum Lemani sito.

Domina grandis (Francogallice: La grande dame) obscura arcanaque pelliculae cinematographicae internationalis die 17° mensis Martii anno 1990° ad desperationem rerum omnium adducta tandem voluntariam sibi ipsum conscivit letum. Desiluit e fenestra habitationis in octavo tabulato Lausonii in oppido in pago Valdensi Confoederationis Helveticae atque extemplo mortua fuit.

AMICUS

1 actrix cinematographica	Filmschauspielerin
2 modula photographica	Photomodeill



De casu quodam nartatorio

Exeunte mense martio huius anni 1989ⁱ, cum liberis nepotibusque, sicut quotannis facere solemus, in statione quadam Alpensi, prope Vapincum (Gallice: Gap) sita, ad nartandum convenimus.

Lunae die Paschali, circa horam nonam ante meridiem, in semita declivi delabebamur, quae lata erat et amoena. Hac hora porro nix satis dura erat: eius enim superficies sole matutino nondum ita calefacta erat ut, mollita, ad leniter nartandum aptaretur. Non tamen difficilis erat: condicionibus multo peioribus nartare adsuefacti eramus.

Fortuna autem mihi non favit. Cum non satis bene adtenderem, aequilibrium me defecit et valde inepte cecidi, non in nivem duram, quod minori fuisset incommodo, sed in plagam glaciei durissimam, quam ibi adesse non animadverteram.

Dolor, quem in coxa vel crure superiore passus sum, acutior fuit, sed brevissimus. At prudentia potius quam dolor me suasit ne statim in nartas resurgere conarer. Cum autem filia nostra Jacobina haud longe a me delaberetur, eam vocavi, ut casum meum explanarem. Omnibus perpensis, opportunum visum est auxilium externum quaerere. Neptis nostra Margarita, quae cum matre nartabat, ad auxilium quaerendum descendit. Jacobina autem mecum mansit et me adiuvit, ut, dum exspectandum erat, commodius iacerem.

Paucis post minutis advenerunt auxiliatores secum traham nivalem ferentes, et feretrum conflatile, id est quod ad formam corporis aëre conflando aut deflando aptatur. Cum autem nix in ima statione rara esset, auxiliatores illi, postquam me ad locum idoneum, paucis tantum metris distantem, devexerunt, helicoptrum radiotelephonice vocare maluerunt, quo citissime ad stationis Centrum Medicale per aëra delatus sum.

Ibi, coxae meae radiographia facta summi femoris fracturam demonstravit. Quod non placuit, sed prudentiam nostram non omnino inutilem fuisse ostendit.

Itaque, in feretro iterum positus, autoraeda sanitaria ad Vapicini nosocomium vectus sum. Aderat ibi chirurgus iuvenis, sed iam arte sua clarus, qui femoris ambas partes in loca sua reduxit, easque lamina cochleisque metallicis

firmavit. Quo operandi modo molestissima incommoda vitavi, quae mihi ferenda forent, si crux totum usque ad coxendicem in carcere gypseo teneretur. Post paucos dies surgere et paulatim ambulare potui, summa tamen cum cautione.

At tandem, duabus exactis hebdomadibus, in aliud nosocomium speciale vectus sum, ubi vulnerati kinesitherapia aliisque modis ad recte movendum habilitantur. Quod nosocomium, in quo has adumbravi lineas, prope Lugdunum situm est, id est non longe a filii filiarumque domiciliis.

Ne plura, praeter casus stupiditatem, omnia usque ad nunc se optime habuisse videntur: Deo gratias!

Adversus meipsum tamen valde sum iratus. Non agitur quidem de dolore, qui minimus fuit, neque de otio meo vastato, neque de consequentibus, quae in futuro me laedere possint, sed de tempore ad causam Latinam dando mea culpa perditio.

Feriae enim Latinae Nicenses mihi iterum parandae erant, neque ullum adiutorem fidum in illa urbe suscitare potui. Praeterea ad secundum coetum Sodalitatis Latinae Provinciae, quam una cum Johanne Granata, machinatore atomico, Aquis Sextiis die decimo septimo mensis Martii anni 1989 condidimus, adesse non potui.

Sed iram meam sedare licuit. Nos enim, Latinitatis fautores, intellegamus oportet neminem ita necessarium esse, ut alius munera sua assumere non possit. Tum vulnerabiles cum mortales sumus: haec evidentia in mente nostra semper servanda nobis est, ut iunioribus bonam viam et indicare et aperire possimus.

Epistulae vero, quae domi me exspectabant usque ad me, vicino curante, allatae sunt. Itaque novas inscriptiones notare, inscriptosque certos facere potui.

Telephonice quoque cum amico Johanne communicare licuit, qui rem Provincialem nostram Latinam per seipsum fortiter assumpsit.

In ambobus vero nosocomiis apparatus telephonicum in promptu habere contigit. Itaque nunc placet hanc narrationem brevis cuiusdam conversationis Vapinci prolatae descriptione concludere.

Vapinci, cum alio socio, casu autoraedario haud gravissime vulnerato, cubiculum partiebar. Qui erat Maurus: lingua eius vernacula erat Berberica, sed tum Arabice cum Franco-gallice (more suo!) loquebatur.

Tiniit telephorum: amicus quidam de valetudine mea Latine inquirebat. Latine, sicut decet, respondi, nec ulla alia lingua colloquendo usi sumus. Confiteor tamen me aliqua derisoria de contubernali meo Berbero (nisi dixi "Barbaro") narravisse. Nam si linguam Latinam non intellegeret, eum laedere non poteram, si autem intellegeret, una (etsi suo quisque modo) Deum Optimum Maximum propter hoc miraculum laudare debeamus!

Colloquio tandem peracto, ille me lingua Francogallica sua peculiari ita interrogavit: "Il i angli tun zami?" (i. e. "Il est anglais, ton ami?" = "Anglicusne est amicus tuus?") Eum non amplius delusi: "Non Anglice, sed Latine locuti sumus."

"Kis ki si, li latin?" (i. e. "Qu'est-ce que c'est, le latin? = Quid est lingua Latina?")

"Nobis Christianis Romanis*, idem est ac vobis Mahumedanis lingua Arabica Coranica..."

Utinam clerici Christiani hanc evidentiam haud peius intellegant quam ille contubernalis meus Mahumedanus!

Clemens Julius Mysca (Clement Desessard)

Ad Horrea (Gallice 'Mandelieu'), die 1° mensis Junii anno 1989°

*Lingua Arabica Coranica Christiani vocantur "Rumi", id est "Romani".



"Rumor Varius - gaudio Latinitate viva impulsus"

Maxima debetur puero reverentia.

(Decimus Iunius Iuvenalis, Sat. XIV, 47)

Abhinc iam amplius decem annos factio sive turba latinistarum quorundam sexies quotannis in vulgus edit parvum diurnale seu commentariolum periodicum non solum usui puerorum discipulorum, sed etiam amicorum Latinitatis omnium destinatum, qui potissimum diligunt legere textus non modo praecipuorum optimorum scriptorum Latinitatis veteris classicorum, sed etiam textus scriptorum Latinitatis vivae nostrae aetatis.

De re ipsa observanda

Ludimagistri Latinitatis, qui in classibus inferioribus Latinitatem discipulos docent, id diu cognitum habent: tandem aliquando nonnumquamque inveniuntur discipuli, qui omnino non sunt cupidi lectionum praepositarum per scholarum docendi viam et rationem easque lectiones consequenter non magni aestimant. Culpa tamen nihilo minus est fortasse studium non sufficiens parumque idoneum ludimagistri Latinitatis, sed potius conexus difficilis inter sententias textuum antiquorum atque condiciones nostrae aetatis, quas usus rerum quotidianarum discipulum docet. Classes autem discipulorum, ubi tantum taedium fastidiumque - de quibus iam supra commemoravimus - oriuntur, ludimagistrum aliquando ad desperationem perducere possunt. Ex hac parte lectio scriptorum veterum auxilium insigne atque singulare esse constat syntaxim linguae Latinae optime docendi, illinc autem, ut profitear quod vere sentio, ludimagister etiam intellegere potest, si lectiones illas non omnibus discipulis placent, et non omnes pari modo parique ratione eis lectionibus delectantur. Reprehendere autem id discipulis omnino non possumus, si abhorreant a talibus lectionibus difficillimis.

De proposito capiendo et tenendo, de sententia servanda

Tempore vespertino hiberni cuiusdam diei anno 1978° collocutus sum cum collega magistro Latinitatis inter pocula vini de his rebus et quaestionibus atque postremo ea de re

uno ore consensimus: sient insuper etiam lectiones Latinas, quae - sicuti in linguis vernaculis nostrae aetatis - habeant etiam proposita utilia atque ludicra et iucundi sermonis, textus tandem - ne multis morer - simplices, multiplices, varios, qui varia eruditione repleti sient. Desiderium autem nostrum, id quod maxime voluimus, tandem "pater fuit spiritualis" Rumoris Varii, diurnalis nostri Latine scripti discipulis nostris dicati, nam hoc erat in votis, ut ita dicam, nam maxima debetur puero reverentia. Promulgatio incepti nostri vehementer libenterque accepta est a discipulis nostris gaudio laetitiaeque adfectis. Percontatione tandem in circulo ludismagistrorum discipulorumque facta - sententiis rogatis - diurnali nostro nomen "Rumor Varius" inditum est: alia vox publici. Editio autem prima eo tempore etiam tunc machina scriptoria scripta atque simplici modo multiplicata in publicum prodiit inque conspectum venit sub finem mensis Februarii anno 1978° tantummodo ex duabus paginis composita, quae omnibus discipulis classium superiorum de publico nullis impensis dilargita est.

Quomodo planta nostra auxit

Conveniendi signum classicum a multis hominibus auditum et consilium lubenter secutum est. Editio autem secunda mense Aprili anno 1978° iam ex quattuor paginis constitit. Ab editione tertia in conspectum venit Rumor Varius apte conformatus sicuti eum ex eo tempore cognovimus: modo A 5 cum involucro colorato (versicolore) atque cum impresso. Sub finem autem anni 1979° numerus paginarum uniuscuiusque fasciculi a 12 ad 20 auctus est, et ab anno 1980° diurnale nostrum pretio subnotationis potest adquiri. Numerus fasciculorum quotannis in vulgus edendorum explet sex. Praetorium autem operis sociorum atque amicorum scholae consulit de rebus ad continuitatem pertinentibus. Numerus autem subnotatorum atque auctorum textuum interea accrevit auxitque: Rumor Varius perinde in Omaha (Nebraska) et pariter in Vasovia atque Toquio legitur, nam interea ad catervam gregemque legentium illius commentarii periodici pertinent etiam non solum discipuli, sed etiam diutius matres familias atque professores Almarum Matrum sive universitatum. Et hoc modo Rumor Varius interea iam factus

est non solum diurnale pro discipulis, sed insuper diurnale pro omnibus Latinitatem vivam quasi divino instinctu concitatis colentibus. Atque quo modo intellegitur immensus mirusque successus Rumoris Varii? Est enim varietas conditionum textuum, quae omnibus legentibus semper aliquid offert novi. Uno eodemque tempore itidem pari modo relatio - ut exemplum adferam - de certamine curruli autocinetorum formulae primae atque editio in vulgus poematis Latini in metro Asclepiadeo in Rumore Vario inveni potest. Amici autem cupidique aenigmatum aestimant magni crucigrammata seu litteras implexas decussatas. Aenigmatibus nempe recte solutis pretia mirabilia "adnuunt".

Si Tute, lector benevole, ad collegium redactorum Rumoris Varii scribere velis, quaeso utaris inscriptionem hanc:

Loculus cursualis 883

CH - 8050 Turici in oppido

Specimen seu exemplum Rumoris Varii seduliter strenueque perlegens quam primum fieri omnino potest agnoscere mentemque haud difficulter complecti poteris sententiam perspicentiamque hanc: lingua Latina nondum iam mortua est, immo semper viget, floret, crescit et his nostris temporibus diebusque.

Textum Theodiscum in vulgus edidit **Udalricus Aeschlimann** in commentario periodico cui titulus "Gymnasium Helveticum" 42 (1988) Nr. 2. In Latinum sermonem convertit: **AMICUS**.



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)


RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 ZÜRICH

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



AZ

8050 Zürich

4 / 90

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMXC



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstasse 30
3014 Bern

TOMVS 13

FASC. 84